

GERMANIA INFERIOR

*Sevenvolden.*

*Sevenvolden* in Frisia & confiniis Transsalariae, septem ingentes saltus sunt haud magnis inter se intervallis abjuncti, unde & uni è tribus Frisiae statibus, sive Ordinibus, nomen est.

*Oceanum.*

Oceanus Hollandiae, Flandriae, Frisiae latus verberat, reliquisque provinciis navigationes commodas praebet. Magna ejus hic est vis, ubi ventis tempestatibusque concitatus terris incubat, & quidem tanta, ut agros camposque, pagos, urbesque mergat. Exemplo sunt non solum Zelandiae aliquot tractus mari absorpti, sed & Hollandiae Dordracum ac Gertrubisbergam inter, & annuae fere ejus in Frisia irruptiones inundationesque, adversus quas tantum incolarum profectum est industria, laboribusque, aggeres illi objicientium, ut nisi insolita ac supra modum horrendae tempestates superveniant, conspirantibus inter se Cauro, ac immenso maris aestu, vix damnum ullum metui possit.

*Piscatura.*

Præter navigationum commoda, magnus quoque ex piscium captura ad incolas redit quaestus, qui non solum hisce regionibus sufficiunt, sed & ad vicinas quoque exportantur, usque in Galliam, Hispaniam, Germaniam. Sunt autem pisces isti potissimum haleces, aselli majores, & salmones, qui sale conditi quaquaversum in usus hominum distrahuntur.

*Incolarum indoles.*

Incolae forma ut plurimum sunt non indecora, statura mediocri, temperamento non valde intemperato, non admodum Veneri dediti, civiles, aperti, comes, blandi, ad omnia prompti, laboriosi, industrii, artium omnium ac scientiarum capaces, bello adhuc insignes, ut à majorum suorum virtute minime degeneraverint.

Accedit summa maris navigandi peritia, qua fit, ut navibus, quarum infinitus hic est numerus, omnes ferè plagas adeant atque perlustrent, nunc Septentrionis incognitos aditus investigent, nunc Australem plagam invitant, modo Orientem ac Occidentem oppugnent, & nullibi non virtutis suae ac fortitudinis trophaea erigant. Mulieres formosae, castae, rei familiaris studiosissimae, etiam ipsae mercaturam domi exercentes, & huc illuc commentes negotiorum causa. Artes mechanicae nusquam magis, quam hic vigent, non sordidae illae & vulgares, sed nobiliores, ut panni contexendi, lanificia & telas tractandi, aulae tapetiaque conficiendi, quae non hujus solummodo regionis usibus inserviant, sed etiam in reliquam Europam, Asiam, Africam, Americamque deportentur. In picturis excellunt quam maxime, uti nostro aëvo palmam meruere Goltzius, Rubenius, aliique.

Academiae Belgicae sunt: Hispanicae quidem *Academiae* conditionis, *Lovanium*, ac *Duacum*: Confederatarum provinciarum *Lugdunum Batavorum*, *Franequera*, *Groninga* & *Ultrajectum*. Præter linguam vernaculam, familiaris valde hisce terris est lingua Gallica. Nautae, mercatores, & viri literati etiam Italicam, Hispanicam, Latinam, Graecam, plerique callent. Sunt etiam qui Hebraeae, Chaldaicae, Arabicae linguae sunt peritissimi.

De regimine harum Provinciarum, Principis ac Ordinum potestate vide quae copiose describit Lud. Guicciardinus. Ea tamen regiminis facies post abdicatum Regem Hispaniarum nonnihil mutata est, translata imperii summa ad ipsos Ordines provincialesque.

